

Epistola apologetica ad magnum Th. Bartholinum regium in regiâ Hafniensi professorem anatomicorum coryphaeum de columnis nobiliss. Ludovico Bilsio à Coppensdamme, Bonem, &c.; Do. arcanorum naturalium scrutatori subtiliss. nec non vivorum ac mortuorum anatomico incomparabili, perperam impactis. / Romanâ veste donata, per Philalethium.

Contributors

Zas, Nicolaus, 1610-1663.

Leers, Arnout

Philalethius.

Bartholin, Thomas, 1616-1680.

Bils, Lodewijk de, 1624-1670.

Publication/Creation

Roterodami : Ex officinâ Arnoldi Leers, MDCLXI. [1661]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/drg3gwre>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

EPISTOLA APOLOGETICA

Ad Magnum

TH. BARTHOLINUM

Regium in Regiâ Hafniensi Professorem Ana-
tomicorum Coryphaeum

De Calumniis

Nobiliss. LUDOVICO BILSIO

à Coppensdamm, Bonein, &c. D°

*Arcanorum Naturalium Scrutatori Subtiliss. nec non vivorum ac mor-
tuorum Anatomico Incomparabili, perperam impactis.*

Romanâ veste donata, per Philalethium.

Plerumque innocentes recenti invidiae impares, Tacitus An-
naliū liber, 2.



ROTERODAMI,

Ex Officinâ ARNOLDI LEERS. MDCCLXI.

EPISTOLA APOLOGETICA

Ad R. H.

HABATHOLINI

LIBERIS ET LIBERTATIBUS HABITANTIBUS

ET LIBERTATIBUS LIBERIS

De Cypriano

LUDOVICO BILSIO

De Nobiliss.

LUDOVICO BILSIO

Anatomicorum Oculatissimo.

*Ille venenatis licet usque agitetur ab Austris,
Pulchrius at ravidis emerget BILSIUS undis.*

Clariss. Vir, Celeberr. D.

Enè Regium in Regiâ Hafniensi Professorem ignotus hospes atque Anatomæ Tyrunculus compellatum eat? Bartholinorum Gens jam olim præ insigni eruditione tanquam Regni sidera habita, adeoque toto literatorum orbe nomen illorum usque celebratum.

Non ità pridem, Clariss. Vir, incidimus in libellum, cui titulus: *Th. Bartholini Spicilegia bina ex Vasis Lymphaticis. Amstelædami, apud Petrum van den Berge, sub signo Montis Parnassi.*

Hujus cum septimum adeoque ultimum perlegerem caput, vixdùm mihi persuasi, tale telum ex pharetrâ tanti prodiisse Apollinis; verùm hoc volui, Momum quendam personam tuam induisse, de tuis incommodis sua sibi ut compararet commoda.

Cæterùm quis credat quomodo Bartholinus ignotum quem, de Nobilitate tamen haut dubiâ Virum, nullius (quod sciam) nedum Bartholini directè quid honori detrahentem, verùm qui omnem vitam intexantlatis exhaustam laboribus Bono Publico consecrarit, deque Orbe literato optimè indies mereatur, linguâ ignotâ impetierit, atque omnibus deridendum propinarit, ut æstimationi ejus inureret notam, scribendo:

Quod quemadmodum rectè inquit Seneca: Nullum magnum ingenium esse sine mixturâ dementiae; ita & naves suos habeat Bilsius. In eo peccat, quod suæ experientias arrogantius quam decentius, omnium aliorum in hac palaestra exercitatorum, preferat, & præ se contemnat, quum non ita pridem ex Anatome nostrâ Belgicâ suæ artis jecerit fundamenta.

Ego Nobiliss. Bilsium à Coppensdamme, Boneim, &c. D^m. in arte suâ lubens Præceptorem mihi adopto, à quo permulta nunquam alibi hactenus visa inauditaque documenta habeo arti meæ maximè proficia, quæ tamen nusquam gentium vel vidi vel audivi unquam: quare hominem ipsum, ejusque dignitatem pro rei veritate, luridis Zoilorum dentibus eripere cogor.

Si Bilsius artis suæ fundamenta ex Bartholini Anatome non ita pridem jecerit, Te vero, Clariss. Vir, si modò hujus operis Autor perhiberis, hac de causâ exsultare, nedùm insultare deceat.

Jam proiectioris ætatis est Nobiliss. Bilsius, qui indè à teneris un-

E P I S T O L A

guiculis noctes atque dies circa cadavera hominum juxta ac bestiarum stupendo aliquo cum ardore & labore omnem vitam consumpsit, qui-que cadavera humana supra sexaginta, ac præter bruta alia, canes supra mille ~~annorum~~: Cuius rei aliquam partem testes sumus oculati.

Si Belgicam Bartholini Anatomen Nobiliss. Bilsius quandoque inspexerit, hoc egit, ut intelligeret, vivisne per omnia responderent æri insculptæ figuræ, eo animo & Tu Anatomiconum Coryphæ Belgiæ Nobiliss. Bilsii Anatomen inspexisti, liquet hinc, siquidem objectas ipsum Apologiae ad Animadversiones D. Hornii affixisse *canis benè magni figuram*.

Sic porrò scribit Clariss. Bartholinus: quod Nobiliss. Bilsius invidiâ quâdam artes suas occultet, *infra Professoris ingenui candorem existimas*, quia Pythagoræ silentium fastidis & Natura omnibus sua bona voluit esse communia. Tertiò, quod prostituat Nobilitatis decus, & Anatomici dignitatem, quod pre-cio certo inventa sua speculatoribus exhibeat. Laboribus quidem debetur præmium, inquis, sed à Mæcenatibus.

Quanto quidem, Clariss. Vir, (at sit gratia verbo) satiùs fuisset, Nobiliss. Bilsio suscitasse Mæcenatem, quâm ipsum palam maledictis prosci-disse.

Generosioris Nobilitatis Vir est, viræ famam anteponit: Te itaque de Calumniis perperam sibi impæctis provocat, non quidem ense, quippe quod jura prohibent, quem tamen non frustra gerit; verum cultro Anatomico, Artis Anatomicæ bono.

Ego aliique complures Nobiliss. Bilsium coram Viris Spectatiss. au-divimus dicentem: si D. Bartholinus se alicubi in Belgio coram Viris Il-lustribus sistere audeat, uti cadavera cadaveribus opponantur, scilicet, uter manu sit doctior, qui in arte Anatomica memorandum aliquod spe-cimen edat, se effecturum, ut videat Bartholinus, quantum sibi etiamnùm in arte suâ desit.

Hoc verò addam, Vir Clariss. si forsitan excepéris, Nobiliss. enim Bilsii genium & ingenium intùs calleo, ut si D. Bartholinus Regiam Majestatem Danicam, quippe Professor Regius eique subditus oratam ausit, ut Authoritate ejusdem Majestatis Regiæ in Regnum vocetur, uti coram Majestate Regiâ & nostris hominibus negotium instituatur. Illum qui-dem Regium ad nutum præstò fore, non verbis, verùm ad oculum de-monstraturum, Bartholinum (quod quidem res est) aptiùs posse dicere ac scribere,

scribere, Bilsium autem aptius facere.

Sub qua lege hisce me ipsum devincio illum modo vivum & incolument pro generositate ejus non futurum in morâ.

Tu Clariss. Vir, gratuitò hactenus (uti scribis) spectatoribus operam tuam impendisti, nec equum aureum nec ligneum ambiisti.

Tune jam Clariss. Vir divitibus Regni vectaris censibus? Indiesne Regium speras Elephantum, aliosvè honores, quandocunque Majestati Danicæ Professores suos tali dignari honore visum fuerit? quomodo scribis: *quod laudandâ Venetorum Patres Conscripti prudemâ, lauta præter stipendia, Anatomicos suos, Aquapendentem, Spigelium, Marchetum, Folium, Equestris, Ordini adscripserint.*

Qualis etiam totius Germaniæ Ornamento, Anatomico insigni, Weslingio delatus est honor, qui jure optimo Auratus S. Marci audit Eques.

In magnos animos non cadit affectatum (inquis) lucrum.

Victæ Babylonis gazas Bilsio non invides nec summam 120000 Florenorum, quam colligit; miraris tamen, tanto precio unam observationem venire, quum tu centenis ne centesimam titivillii partem fueris lucratius. Ejà hoccine sit expendere Nobiliss. Viri experimenta, laudandi potius animo, quam dispendi? quomodo quidem in præfatione tuâ mones.

Modò ipsum Deus salvum & incolument servarit, Tibi ad oculum demonstrare non dubitat, quod hactenus nemo Danus in Patria vidit unquam, neve unum, verùm quamplurima insolita experimenta dabit.

*Omnibus hic toto rem demirantibus orbe,
Idem stillabit dextrè, sifletque cruorem.*

Illud namque Clariss. Vir, tenendum, Nobiliss. Bilsium hanc prærogativam præ aliis obtinere Anatomicis, ut omnem corporis sanguinem ipsum alias alicubi impediturum, absque ulla sanguinis effusione, ab uno ad alterum corporis latus, inò in hunc vel illum corporis angulum, quemcunque libitum fuerit, compellat.

Mirandam sanguinis coarctandi reperit rationem, quâ prodit, quæcumque antea oculos fugiebant, undè indies nova vasa, novas membranas, novum moschum, novasque arterias invenit, itâ ut eum Doctiss. Deusingius Groningæ ac Oinlandiæ Professor Celeberr. in Epistolis suis

Anatomicum, verè thaumaturgum subinde appelle. Lubens agnosco (rumpantur licet ilia Momo) sæpenumerò me thaumatura in ipso animadvertisse.

*Dente Theonino licet usque petatur & usque;
Attamen ipsa suum Ars commendabit Alumnum.*

Objectes Nobiliss. Viro licet, illum magnis cogitationibus pectus implevisse, profunda Naturæ mysteria per inauditas suas sectiones Roterodami divedere.

Huic autem cavillo animum æquum, nulliusque sibi consciū criminis opponit: Valeant maledici: quod vidimus, quodque contrectavimus, id verò testamur.

Regium est, benè cum feceris, audire malè.

Quin imò Urbs nostra de tali Cive gaudet adeoque superbit.

Tu interim, Clariss. Bartholine, Nobiliss. Bilsium improbè laceras, fœdissima quæque objectans ei, quæ ne juratus quidem hostis, datâ operâ, excogitare queat, hacque solummodo de causâ, quia nomen tuum, & inventa Lymphatica huic fabulae interseri videoas, & de illis litigari.

Si candidè Tibi hic, Clariss. Vir, visum fuisset agere, eapropter factatum meminisses, ut simul etiam non ignobile Celeberr. istius Collegii membrum audires, quod exigit, ut Nobiliss. Bilsius flexis quidem genibus veniam deprecetur, qui eorum adeò speciosam ac fulgidam Deam Medicinam fœdissimè conspurcarit.

Et Tu, Celeberr. Vir, omnem illi æstimationem voluisti ereptam, adeoque ipsum, ut invisum fratribus Josephum in puteum studuisti detrudendum, Tu cogitasti malum, verùm Deus (precor) convertet bono.

Tuo ipse te jugulas gladio, ubi post tot dietas Bilsio blasphemias, ipse tandem sic cogeris scribere.

Imprimis laudandum ardens ejus studium in promovendâ Anatome, quam tot impensis, & tanto apparatu in se suscepit exornandam. Deinde cadaverum arte preparatorum balsamationem seu condituram novit, quâ utili inventione sine cruoris effusione & naufragâ, quovis tempore viscera corporis & vasa demonstrari possunt.

Hic honor, qui Nobiliss. Bilsio vixdum ab ejus hostibus ascribitur, ita
mox

mox eripitur ipsi: sic namque porrò scribis: *Percommode hoc foret, ubi recentia cadavera denegantur, alioquin in exsiccato cadavere nec partium nativus color, nec connexio, nec figura accuratè conservari & monstrari tyreni artis possunt, quod Mumiae Ägyptiacæ testantur.*

En speciosam Bartholini ~~μείωσιν~~.

Nos contrà testamur Nobiliss. Bilsii opera haud refertas Mumias esse, verùm ostenta mirabilia, in quibus non modò artis tyrunculis, verùm ipsimet Bartholino, ejusque farinæ hominibus ostendit poslunt viæ, meatus, & ingressus, per quos Chylus cum sanguine reffluo hepar ingrediatur, & undè hepar, Belgicè *de Lever*, qui cum Bartholinus sat indignè haec tenus jocatus est, pristinam suam dignitatem recuperet, & ut ante *Larer*, id est, refocillatio corporis dicatur.

In admirandis hiscè operibus plura videre est, quam in corpore aliquo recente demonstrari queant, præter Clariss. Bartholini vasa Lymphatica, iisque annexa.

Hæc itaque lubenti contemplēmur animo, atque adorandam Dei Majestatem agnoscamus, dum Clariss. Bartholinus hepatis defuncto condit epitaphia, dum ringitur, mordet ac rodit, atque fictitias tantoque indignas Viro exequias hepatis celebrat; hepar *de lever* namquè & ejus præminentia usque dicetur *leven en laven*, vivere & fovere, dum vitâ & fomento *leven en laven* indigent Creaturæ. Nequè enim invidemus, ut cum Nymphis suis & Naiadibus in vasis suis Lymphaticis ludat, easque (uti scribit) percupere quidem, modò absque superstitione fiat, adoret. Hæc, Clariss. Bartholine, Nobiliss. Bilsii ars est: Ut cultro Anatomic non modo mortua, verùm etiam viva corpora ita norit præparare, ut in iis sine ullâ sanguinis effusione atque naufragio videre liceat, quæcumque tuos, tuorumque confederatorum oculos usque licet lynceos latuerunt haec tenus.

Hoc declarant ista specimina, quæ condita penes se habet, non quod condituram quicquam faciat, verùm artificiam illam corporum præparationem, priusquam condiantur; habet enim humana cadavera, in quibus nervi, alia, in quibus venæ; habet, in quibus arteriæ, alia, in quibus membranæ, partesve aliæ, imò Cerebri ipsius reconditissimæ adeò artificiosè disiectæ, magisvè artificiosè exemptæ sunt corruptioni, ut Viri Docti, nullochè ducti præjudicio hac de causâ obmutescant, obstupescantque.

Qualia

Qualia tam virilia quam muliebria numero amplius triginta habuissimus cadavera, nî quorundam obstitisset invidia, qui non passi sunt ut quisque Anatomes Studiosus huic negocio 25 Florenos impenderet; tunc enim præter omnimodam cognitionem, etiam icones, juxta descriptionem vivarum omnis generis dislectionum habuissimus. Qualia sint, quæ vidi-
mus hactenus, specimina, de illis Principes non pauci, Comites ac Satra-
pæ, Legati Regii horumque Medici, inter alios quoque Majestatis Dani-
cæ ad Illustr. Præpotentes D. D. Confœderatarum Provinciarum Ordin-
nes Delegati novissimi duo locupletem fidem faciunt.

Itanè ergò, Clariss. Bartholine, movenda Tibi erat Camerina, ut ad rem pervenires.

*Ad rem (inquit) ut veniamus, Bilsii institutum est, verum Ductus dicti Chili-
feri (Ipsi verò Roriferi) usum probare, & hepatis olim temere sepulti, nunc, ut
sperat, resurrecti necessitatem adducere.*

Hic Clariss. Bartholinus cum larvis luctari videtur.

Nulos meministi verè mortuos & sepultos resurrexisse per naturam, paucos
per miraculum. Scire operæ precium est, Clariss. Vir, Nobiliss. Bilsium,
quem antiqui Medici hepati attribuerunt, usum, volentem tueri, tuo ipsius
exemplo, nonnunquam hepatis resurrectionis nomen, olim temere sepul-
ti, adhibere, figuratum huic rei mutuando loquendi modum, quo anti-
qui hepatis usus præcipitationem, nec non resurrectionem expressum ivit,
hinc, Clariss. Bartholine omnino aberras à scopo, ac de resurrectione
mortuorum instituis orationem; & Hugonem Grotium, Kornmannum
nōisque impugnas, quasi verò fabulas, illusiones, & phantasmata pertraçtas-
sent, Porro rationes reddis Celeberr. Bartholine, quare mortui non ni-
si tribus post diebus sepeliri consueverint, idque multorum coimprobas
autoritate, uti Abensine, Levini Lemnii, Mich. Joh. Paschalii, Zac. Lusita-
ni, aliorumve, plures autem (sic enim pergis) anni hepar tumularunt, ut mi-
nor vita spes supersit. An umbram illius curiose artes, & ingenia potentiora re-
ducant, non valde laboras, brevi evanituram.

Tibinè, Clariss. Vir, cum reconditissimo Religionis Christianæ my-
sterio hoc more ludere liceat, adeoque ipsum profanare, hoc verò Theo-
logis relinquo; Salvo tamen honore ausim asseverare, illud ipsum (meo
quidem judicio) cum opere Nobiliss. Bilsii omnino non convenire, ad-
eoque nihil ad rhombum; ut & illud quod scribis. Magno sudore humum
ex tumulo effodiisse Riolanum, ut defunctum viscus educeret, sed ipsum prius
humo

humo absorptum, quam voti sui factum compotem. Eodem successu, aīs, ligones huc contulerunt alii. An felicior vespillo futurus sit Bilsius, paucis videbimus. Recte quidem veteri fertur adagio : Mortuo leoni vel lepores insultant.

Si etiamnūm in vivis numerarentur Magnus Riolanus, Magnusque Hugo Grotius, ausim deponere, nē mussitaturum quidem fuisse Th. Bartholinum, ni modò omnino perficitæ frontis audiat. Mortuorum cineres commejere, id verò haud difficile.

Jam verò ad Vespillonem Bilsium quod attinet. Quid quoſo Vespillo ille Bilsius? Credo jam equidem illum incredulo Thomæ Bartholino sepulchrum fodere.

Huc usque Clariss. Viri præfatio.

Jam iterū ad rem : Duo sunt, inquis, quæ sibi demonstranda sumit Bilsius nempe : 1. succum sanguini futuro aptum ex intestinis venas meseraicas ingredi, atque ibidem ex lege circulationis sanguini arterioso mixtum in venam portæ ascendere, quæ illum in hepar transfundat.

2. Ductum Chyli thoracicum aquam seu rorem potius vehere quam chylum ad varias partes, unde Roriferum vocat.

Ecquid peccat Bilius, quod hāc in re sapientissimam Antiquitatem imitetur,

Quamprimum aliás ab eā deviat, exploditur, quasi temerario nimis ausu Antiquitatem aspernetur.

Si Dialecticis habenda fides, illi docebunt nos, locum à testimonis animis fidem ingenerare, quæ nihil aliud est, quam rei adhibita assensio, propter dicentis autoritatem. Cui usui varios considerunt canones, quorum singuli in hiscè Nobiliss. Bilio fidem conciliant, ex quibus quatuor proponam.

1. Antiquum nupero præstantius est testimonium.
2. Publica probabilem obtinent veritatem testimonia.
3. Multorum sapientum ac præstantium virorum testimonium paucorum ac tenuum præponendum.

4. Artificis in arte suâ periti imperiti præferendum testimonio. Ita plus fidei habenduin sutori de calceis loquenti, quām si vel disertissimus Cato istius artis ignarus de iis orationem instituat.

Ulteriora de hepate argumenta brevitatis causâ, & nē recocta apponatur crainbe, hic omittam. Quantum ad secundum Bilio exper-

mentum, illud verò Bartholini subjicere oculis parat, res namque ista non calamo, sed *avertiri* terminanda.

Eque scriptis Clariss. Bartholini liquet, Professores ac Doctores confederatos sese mutuò fricare, ac sua ipsorum ac inter se scripta famosa certatim citare, quasi Autores Classici audirent, atque suas ipsorum allegationes, tanquam de tripode responsa, Sybillinavè folia nobis venditare: Nonnè merentur isti homines, ut Nobiliss. Bilsius artes suas pleniùs appetiat? Tùm enim (uti scribis) tempori & occasione judicium reservabis, quare secretum ejus, quod servat, & spectatoribus suis invidet, nec laudaveris, nec culpaveris. Cum Nobiliss. Bilsio agis pro lubitu, siquidem *nomen tuum* inventaque *Lymphatica* huic fabulae interseri videoas, quæ tanto studio in gremio foves: quibus verò superbis nominibus Bilsium decorasset Bartholinus, modò ipsi collusisset, Regioque Professori scripsisset, quemadmodum Acutissimus Pecquetus juxtà allegationem ipsiusmet Bartholini: *Viri Clarissimi & inter atatis hujus Anatomicos oculatissimi Thomæ Bartholini de Vasis Lymphaticis Liber, &c.*

Hoc tene, Clariss. Vir, si mihi tanquam homini novo liceret stylum adeò pinguem in tantum stringere Virum, qualem tu in Bilsium aliosvè magni nominis Viros, affirmarem, Vasa Lymphatica tunc temporis Professorem Bartholinum reddidisce Lymphaticum, quo Magnum illum Artificem Amstelodamensem, verè Nobilem animique Regii Virum Bilsium adeò irreverenter impeteret, ac coram omnibus impudentissime sacram convomeret faciem.

Ignolce, Vir Clariss. si affectus ille naturalis, quem ex officio Præceptori, nec non Arti debeo Medicæ, & quo longius me abripuerit; memineris autem antiqui veri verbii: Ut salutabis, ita resalutaberis. Sed manum de tabulâ.

Interim Sacratissimæ Majestati nec non Universæ Patriæ salutem ac Benedictionem Divinam apprécatur.

Roterodami 30 Januarii 1661.

Nominis Tui

Cultor maximus

N. ZASSIUS.